



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. V. De Nostrorum Scholarium Studiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

7 R. Sac. 2.

S. 7. Cæterùm etsi non tenemur commu-
niter, & in Choro Divinum Officium re-
citare; jubemur tamen adniti attentè, de-
votè, & opportuno tempore recitare. 7

C A P U T V.

De Nostrorum Scholarium Studiis.

PRæcipua hujus Partis tractatio
hoc Capite comprehenditur; quo
Scholasticorum Societatis studia
exponenda sunt. Horum enim
potissimùm gratiâ Collegia instituta fuisse
initio hujus Partis indicatum est. De Scho-
lis autem, quatenus ad Externorum uti-
litatem suscipiuntur, dicetur P. 5. C. 4.
cum de mediis, quibus Societas Proximos
juvat, differendum erit.

S E C T I O I.

De Studiis literarum Humaniorum capessendis.

*Utilitas harum
literarum.*

1. **C**UM doctrinæ, quæ in hac Socie-
tate addiscitur, hic scopus sit, suis
& proximorum animis, Dei favore aspi-
rante, prodesse: hæc erit in universum,
&

& in particularibus personis mensura; ex qua, quibus facultatibus addiscendis Noſtri incumbere, & quouſque in eis progredi debeant, ſtatuatur. Et quia doctrina, & uſus ſacræ doctrinæ (his præſertim temporibus) exigit literarum Humaniorum, ac Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ linguæ cognitionem, illas oportebit addiscere. Aliarum præterea linguarum, ut ſunt Chaldaica, Arabica, & Indica, ubi neceſſariæ, vel utiles ad dictum finem uiderentur, poſſent Præceptores conſtitui; cum ſcilicet in aliquo Collegio, vel Uniuerſitate eò ſpectaretur, ut homines ad Saracenos, Turcas, vel Indos iuandos præpararentur: & ſic de aliis dicendum, quæ eſſe poſſent aliis in regionibus ob ſimiles cauſas, utiliores. Sub literis uerò humanioribus Rhetorica, Poëſis, & Hiſtoria ſunt intelligendæ. ^a

2. Omnes igitur Scholaſtici, antequam ad alia ſtudia majora tranſeant, prius in lingua Latina ſolidum jacent fundamentum. ^b Et ut ejus uſum facilem acquirant; præcipuè literarum Humaniorum ſtudioſi, quin etiam reliqui omnes Scholaſtici, latinè loquantur: ^c à qua lege non eximantur, niſi vacationum dies, & recreationis horæ; niſi fortè in aliquibus

^a P. 4. c. 5. §.
1. A. & c. 6.
§. 4. & c. 12.
§. 2. A. B. &
R. Prov. 50.

51.
*Lingua Latina
ſtudium &
uſus.*

^b P. 4. c. 6. §. 4.
& R. Prov. 50.

^c P. 4. c. 6. §.
13. c. 13. §. 3.
& R. Sch. 10.

re-

regionibus Provinciali videretur, his etiam temporibus, facile posse hunc latinè loquendi usum retineri. *d* Nomine autem vacationum, non generales studiorum Ferienæ intelligendæ sunt, sed hebdomadariæ tantum: eorumque dierum spatium, quibus commorabuntur in villis. *e* Faciendum quoque, ut Nostri, qui nondum studia absolverunt, literas, cum ad Nostros scribunt, scribant latinè. *f*

d St. R. Rect. 8.
& In. 20. §. 4.

e In. 20. §. 4.

f St. R. Rect. 8.

*Hebraea, Græca
atque Indica
cura.*

3. Circa Hebrææ Græcæque linguæ studia, quædam notantur in Constit. P. 4. C. 6. §. 5. & D., quæ opportuniùs referentur infra Part. 5. Cap. 4. ubi & de Sacra Scripturæ studio: cum præsertim studium harum linguarum, præter Latinam, Philosophiæ, & Theologiæ anteponi, an postponi debeat, iudicium Superiori permittatur. *g* Linguæ verò Græcæ exercitatio speciatim injungitur in publica oratione habenda; *h* Eiusdemque promovendæ cura enixè commendata est P. Generali; atque imperata reliquis Superioribus: cum in Græcis literis tantum sit adjumenti ad omnes, quas profitemur, disciplinas capeffendas, atque tradendas; tantum luminis ad sacrorum voluminum explanationem; tantum præsidii ad hæreses expugnandas; tantum nostræ Societatis decoris &

g P. 4. c. 13.

§. 4.

h P. 4. c. 6. §. 13. & St. R. Rect. 11.

& ornamenti, simulque gloriæ CHRISTI, & Ecclesiæ Catholicæ. Et quoniam *i C. 8. D. 16.*

linguarum Indicarum peritia summoperè necessaria est ad salutem Indorum procurandam: ejus etiam studium omnibus eas regiones incolentibus seriò commendatur; atque ad illud juvandum Instructio à Patre Generali conficienda fuit. *l C. 5. D. 67.*

4. Licèt autem cursus temporis ad Humanitatis, & Rhetoricæ studium definitus esse nequeat; & ad Superiorem pertineat expendere, quantum in his literis quemlibet herere oporteat: Nostros tamen non ante ad Philosophiam mittat Provincialis, quàm biennium in Rhetorica consumpserint: nisi ratio ætatis, aut aptitudinis, aut aliquid aliud obfatare in Domino judicetur. Quod si aliqui indole ingenii, ad magnos progressus in his potissimum studiis faciendos, præditi sint; videndum etiam, an operæ pretium sit triennium impendere. *Rhetorica studia quàm diuturna.*

5. Quàm acriter verò in hæc studia incumbendum sit, non semel significatum.

1. Provinciales curare debent Humaniorum literarum studia magni fieri; & eorum, qui eas profitentur, peculiarem curam haberi: & ne in his Professores idonei desint, illorum Seminaria instituere & conservare. *m P. 4. C. 5. §. 2. & C. 15. §. 1. & St. R. Prov. 18.*

Humanitatis studia commendatissima.

2. Ex Deputatione Con. 6. *n Con. 7. D. 26. & R. Prov. pro 50.*

pro studiis, confecta est Instructio; ubi monentur Superiores non modò servare diligenter, quæ pluribus Regulis ibidem citatis præscribuntur, sed reipsa ostendere sibi cordi esse hæc studia, atque eos, qui ea non vulgariter callent: tum non solum admittere in Societatem, qui probè ab his studiis instructi accesserint; sed etiam ad hæc studia illos potissimum addicere, qui præter vim ingenii, aliarum scientiarum præsidia, ac lucem habuerint: ut quamplurimi in his literis nobiliores fiant: in quibus difficilius fortassè fuerit, vel unum quempiam invenire, quàm non paucos in aliis scientiis. ° 3. Congregatio 7. rogata, ut Humaniorum literarum studium quàm commendatissimum haberet, censuit monendos Superiores; ut eò majoribus animis, conatuque in hanc rem incumberent, quò plùs fructus, utilitatis, gloriæque Dei, ex hoc tam Societati proprio literarum studio meritò sperari potest. Quam etiam rem censuit P. Nostro commendandam, ut pro suo in studium hoc singulari affectu, quàm commendatissimum habere dignaretur. p Ad fovenda porrò & hæc, & linguarum studia facit, quod in eorum gratiam statutum est, ut supplere possint defectum
emi-

p In. 20.

p C. 7. D. 92.

eminentioris scientiæ, ad Professionem re-
quisitæ : quod infra Sect. 10. §. 12. expli-
cabitur.

S E C T I O II.

*De Exercitationibus peculiaribus Scho-
larium Societatis in Huma-
niori literatura.*

EXercitationes autem ad literas Huma-
niores addiscendas pleræque inferius
indicabuntur Part. 5. Cap. 4. cum de pu-
blicis Scholis agetur. Hic speciatim refe-
rendæ, quæ Nostris instituendis præscriptæ
sunt,

1. Si nostri Rhetores seu Humanistæ,
vel ad publicas non accedunt prælectiones,
vel accedunt quidem, is tamen, qui Scholæ
præest, non potest oneri Externorum, No-
strorumque instruendorum sufficere ; No-
stros alteri cuiquam idoneo Rector com-
mittat, à quo domi privatim, diligenter
exerceantur. ¶

Quis Magister.

¶ St. R. Rector.
10.

2. Rector etiam videat, ut interdum
aliquæ à nostris Rhetoricis Orationes, aut
Poëmata Latinè, vel Græcè, tum in mensa
habeantur, tum in aula de re aliqua, ad
ædificationem Domesticorum, & Exter-
norum pertinente, quâ ad perfectiora in

*Declamationes
& Carmina.*



† P. 4. c. 6. §. 13. & St. R. Rect. 11. Domino animentur. * Bis insuper, aut ter in anno, cum aliqua celebritas, ut Renovationis studiorum, aut Votorum agitur, Philosophi etiam, ac Theologi car-

‡ St. R. Rect. 8. minum aliquid condant, affigantque. § Iisdemque Præfectus studiorum librum aliquem, ad Humanitatis studia pertinentem, distribuatur; moneaturque, ut interdum legere non omittant. †

† St. R. Præf. 30.

Disceptationes.

3. Præterea qui literis Humanioribus vacant, sua etiam statuta tempora ad conferendum, & disputandum de iis, quæ pertinent ad studia illa, coram aliquo, qui eosdem dirigere possit, habebunt; & Dominicis, vel aliis constitutis diebus, alternatim, vel suæ facultatis positiones à prandio tuebuntur; vel se in componenda soluta oratione, aut carmine exercent: sive id ex tempore proposito ibidem themate, ad explorandam promptitudinem, fiat; sive domi composita, de re prius proposita, publicè legantur. * De his autem, si quid propter circumstantias mutari oporteat, judicium Rectoris esto facultate à suo Superiore, saltem in genere, accepta. *

* P. 4. c. 6. §.

12. & c. 13.

§. 3. & St. R.

Rect. 11.

* P. 4. c. 6. k.



SECTIO III.

*Quæ studia Superiorum Facultatum
& quàm diuturna.*

I. **C**UM Societatis studiorum scopus sit, Proximos ad cognitionem, & amorem Dei juvare, ut dictum est, cumque ad eum finem, medium magis proprium sit facultas Theologiæ; in hanc potissimum Scholastici nostri incumbunt. Et quia ad eandem Scientiæ naturales maxime disponunt ingenia, qua diligentia par est, hæ quoque addiscendæ.

2. Nomine autem Scientiarum naturalium hic comprehendimus Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam, & Mathematicam. Quas quidem scientias Nostri non addiscent minori spatio, quàm trium annorum. Immo neque in gratiam Coadjutorum spiritualium breviores cursus Artium, vel Theologiæ instituendi sunt: sed illi studio Humaniorum literarum contenti, casus Conscientiæ audire possunt. Iis potius, qui actus Scholasticos celebrare debent, & gradum magistræ suscipere, ultra triennium medius annus repetendæ Philosophiæ concedendus est.

K 2

Utilitas horum studiorum.

1 P. 4. Procem. & c. 5. §. 1. & c. 12. §. 1. & 3.

Philosophia cursus.

2 P. 4. c. 5. §. 1. & c. 6 §. 4. & c. 12. C. & c. 14. §. 3. & c. 15. §. 2.

3 P. 4. c. 15. §. 2. & St. R. Prov. 17.

4 C. 2. D. 69.

5 P. 4. c. 6. §. 16. & c. 15.

3. Præ §. 2.

*Mathematica
atque Ethica
studia.*

*d St. R. Prov.
20.*

*e St. R. Prof.
Mor. 2.*

*Theologia cur-
sus.*

f P. 4. C. 15. §.

3. & P. 5. C. 2.

§. 2. & C. 13.

D. 15. & St. R.

Prov. 9. §. 1.

g C. 7. D. 33.

§. 7. & St. R.

Prov. 9. §. 1.

Scriptura Sacra

& Hebraica

lingua.

h P. 4. C. 6. §.

5. & D. & C.

13. §. 4. & St.

R. Prov. 6. &

8. & R. Pr.

Heb. 2.

i St. R. Prov. 8.

3 Prædictum autem triennii spatium ita Philosophiæ potissimum impendendum est; ut secundo tantum anno Philosophi omnes, tribus circiter horæ quadrantibus Mathematicam prælectionem audiant. Et si qui præterea sint idonei, & propensi ad hæc studia, privatis post cursum lectionibus exerceantur. *d* Ethica verò Metaphysicis explicanda est quotidie, per tres quadrantes, aut semihoram. *e*

4. In Theologiæ verò cursu quadriennium explendum est; *f* quam duo, aut tres Magistri prælegent; ex quibus tertius, ex professo, explicabit Theologiam moralem; quam Nostri biennio saltem audiant: *g* altero verò biennio Scripturam Sacram.

5. Ad cujus intellectum, linguæ illæ, in quibus scripta, vel versa fuerit prius, aut posterius, ut Superiori videbitur, disci poterunt. Sed in hoc linguarum studio Nostri eò spectent, ut versionem ab Ecclesia approbatam defendant: & propterea ad illas non debent accedere, nisi multa doctrina, aut magna humilitate fulti. *h* At speciatim de lingua Hebræa statutum est, ut ejus lectionem omnes Theologi audiant, secundo ferè vel tertio anno; iis solum exemptis, qui ad eam inepti penitus censentur. *i*

6. Cete-

6. Ceterum si hoc studiorum tempore in Collegiis non fuisset otium ad Concilia, Decreta, Doctores Sanctos, & res alias morales legendas; postquam ex eis egressi fuerint, unusquisque privato studio, cum approbatione Superiorum, id posset efficere; præsertim si in doctrina Scholastica solida jecerit fundamenta. § Sed de Theologia positivæ studiis inferius agetur Sect. 6.

Juris Canonici.

l P. 4. c. 5. B.

& In. 4. §. 2.

SECTIO IV.

Exercitationes Scholasticæ Scholarium Societatis.

1. **H**Ætenus quæ ad materiam, tempusque studiorum superiorum. Jam quæ in iisdem facultatibus ad exercitationes nostrorum Scholasticorum proprias, nec cum Externis communes pertinent, exponenda sunt. Inter has primo loco veniunt Lectionum Philosophicarum Repetitiones; quæ domi fient quotidie, præter Sabbata, vacationes, & dies festos, horâ unâ designandâ; qua repetatur à Nostriis, & disputetur. Præmoneatur itaque unus, aut alter, ad repetendum memoriter, non plus, quàm per quadrantem: postea argumentetur unus item, aut

Repetitiones ordinaria.

m P. 4. c. 6. §. 8. & H. & L. & c. 13. §. 3. & D. & St. R. Com. sup. 12. alter, totidem respondentibus: si quid verò temporis superfit, dubia proponantur. Ut autem id superfit, Magister argumentandi formam severè tueatur; & cum novi nihil affertur, præcidat argumentum. *m*

Repetitiones extraordinaria.

Præter has ordinarias Repetitiones, Philosophiæ studiosi Ethicæ Repetitiones, saltem decimo quinto quoque die habeant; quo tempore Rector statuerit: etiamsi, eam ob causam, una esset Metaphysica Repetitio prætermittenda. *n* Pro Theologis verò, qui audiunt Lektionem Sacræ Scripturæ, fiant ejusdem Repetitiones semel in Hebdomada, & interdum etiam in Refectorio. *o* At pro iis, qui student linguæ Hebrææ, habenda est ejusdem Repetitio, saltem diebus vacationum. *p*

R. Pr. Mor. 3.

o R. Prof. Sac. Script. 19.

p St. R. Prov. 8.

Disputationes.

3. Cùm perutilis sit (præsertim Artium ac Theologiæ Scholasticæ studiosis) disputandi usus; intersint Scholastici ordinariis Scholarum, ad quas accedunt, (licet non sint sub cura Societatis) disputationibus, & singulare sui specimen in doctrina præbere, modestè tamen, curent. *q* In Sabbato, alio-vè, quem Academiæ consuetudo exigit, die, habeantur disputationes in Scholis, per duas horas. Quod si quam in hebdomadam duo festi dies; vel cum festo uno hebdomadaria vacatio

q P. 4. c. 6. §. 10. & c. 13. §. 3. & R. Schol. 7.

inci-

incidat, non disputetur; sed legatur
Sabbato: id verò si tribus continuaretur
hebdomadis, una interponatur disputa-
tio.

P. 4. c. 6. §.
10. & c. 13.
§. 3. & St. R.
Com. Pr. 14.

4. Singuli verò in audiendis lectionibus
sint affidui, & in eis previdendis diligentes,
& postquam eas audierint, repetendis: iis,
quæ non intellexerint, interrogandis; aliis
verò, quæ oportuerit, adnotandis: quò in
posterum, defectui memoriæ consulatur:
eademque, majori cum ordine digesta,
postmodum referant in libros papyraceos.

Studium priva-
tum.

Habeant propterea suum privatum stu-
dium, & quietum: in quo possent, si Re-
ctori videretur, Commentarium aliquem
videre. Quamdiu autem audiunt, ferè
unus, & is quidem selectus, esse deberet.

P. 4. c. 6. §.
8. & I. & M. &
c. 13. §. 3. & D.
& R. Sch. 45.

Et spectabit ad Præfectum studiorum cura-
re, ne Scholastici libris, aut utilibus ca-
reant, multoque minus necessariis, aut
abundent inutilibus: Rectorque jubebit
Bibliothecarium, in librorum distributio-
ne, ab ejusdem Præfecti præscripto non
discedere.

P. 4. c. 6. M.

P. 4. c. 6. §.
7. & G. & R.
Præf. Bibl. 10.
& St. R. Rect.
17. & St. R.
Præf. 29. 30.

5. Bibliotheca præterea communis, si
fieri potest, in Collegiis habeatur; cui
amplificandæ aliquem redditum annuum,
sive ex bonis ipsius Collegii, sive aliunde,
Provincialis attribuet; quem in alios usus

Bibliotheca
communis ejus-
que Præfectus.

convertere nulla ratione liceat. Clavis autem Bibliothecę illis, qui juxta Rectoris judicium habere debebunt, tradatur. In libris verò necessariis, quos singuli privatim habent, nec scribere, nec notam ullam imprimere debent. Constetque eorum ratio ei, qui Bibliothecę Præfectus est. Non sint in Collegio libri lascivi, aut vani. Bibliothecę præfectus habeat librum, in quo ea omnia quę in suo Collegio publicè exhibentur, judicio Superioris selecta, diligenter scribantur. Conclusiones verò singulorum annorum simul consutas in Bibliotheca afferuet. Reliqua, ab hujusmodi Præfecto servanda, peti possunt ab ejusdem

* P. 4. c. 6. §. Regulis pag. 230. *

7. & G. & P.

3. c. 1. M. &

St. R. Proy.

33. & St. R.

Rect. 16. &

R. Præf. Bibl.

SECTIO V.

*De Examine nostrorum Scholarium,
studiorum tempore.*

*De omnium
studiis constare
Superioribus de-
bet.*

I. **U**T etiam Scholastici magis in studiis promoveantur, juverit interdum mittere ad Præpositum Provinciale, vel Generalem aliquod studiorum suorum specimen: vel saltem eis referre, quantum singuli profecerint. Conferet etiam in memoriam illis reducere, quod studiis ab-
solu-

solutis, in omnibus facultatibus, quibus operam dederint, sunt examinandi. ^y

2. Sed examen ratio exactior, ususque frequentior postmodum inductus est. Tam igitur qui Philosophiæ, quàm qui Theologiæ dant operam, singuli, sub anni cuiusque finem, seriò examinandi, Rectore præfente, & ipso Provinciali, si possit: nullique à primo ad secundum annum, & sic de ceteris, gradum faciant, Philosophi quidem si mediocritatem non attigerint; hi verò ad Theologiam, & Theologi ad suos consequentes annos, qui mediocritatem non excefferint; nimirum, ut eas facultates cum satisfactione tueri possint.

3. Excipe, nisi præclara ad gubernandum, aut concionandum talenta in mediocri quopiam aliud viderentur exigere; nulla Provinciali dispensandi cum quoquam facultate relicta, ubi de mediocritate doctrine iudicio Examinatorum non constat, & de excellentia talenti iudicio Consultorum, & aliorum gravium virorum. ^z In hac autem tota re, quia magni momenti in Domino iudicanda est, & consideratè admodum transigenda, servet in primis Provincialis regulas officii sui, & potissimum rationem habeat virtutis. ^a Eodem etiam examine probandi sunt, qui vel totum curriculum

y P. 4. c. 6. l.
& c. 9. §. 3. &
R. Prov. 59. &
R. Rect. 44.

Quoties examinandi, & quæ doctrina exigenda.

Exceptio.

z C. 7. D. 33.
§. 1. & 2. & C.
8. D. 37. §. 5.

a St. R. Prov.
19. §. 2. & 8. 9.

sum

sum Philosophiæ, aut ejus partem, vel partem etiam aliquam Theologiæ, antequam in Societatem ingrederentur, audiverunt; ut idem de illis statuatur: nisi 1. 2. & C. 11. D. 24. §. 4. & St. R. Prov. 19. mallent, quod emensi sunt, illorum studiorum iter remetiri: quod tamen, justas ob causas, Superior negare poterit. *b*

Spatium & materia Examinum.

4. Spatium verò temporis horum examinum non idem semper, & ubique est. Metaphysici, & à tertio ad quartum Theologiæ annum gradum facturi, unius horum spatio examinandi sunt. *c* In reliquis tum Philosophiæ, tum Theologiæ annis dimidia minimum hora subeatur examen: & Provincie, quæ ex longo jam usu plus ei temporis tribuunt, consuetudinem suam retineant. *d* Initium examinandi Metaphysicos statim post ferias Paschatis fiat, vel etiam ante, si multitudo cogat Examinandorum. *e* Reliqui sub finem anni: cum examinis annui materia sit ea omnis, quæ à Magistris toto anni currentis spatio tradita fuerit; iis exceptis, quæ sub ipsum examinis tempus decurruntur, Præfetti studiorum judicio designandis: sive de cætero Theses ad examen exhibeantur, sive non. *f*

c C. 11. D. 24. §. 1. & ult. & St. R. Præf. 23.

e St. R. Præf. 23.

f C. 11. D. 24. §. 3.

Examinatores & Indices.

5. Examinatores Metaphysicorum debent esse tres, aut etiam plures. Examinabunt autem semper Præfectus, & Præceptor

ceptor proprius; quibus à Rectore addetur tertius ex reliquis Magistris, vel alius; qui rectè id facere posse judicetur. Cum his tribus aderunt præterea duo saltem alii Professores à Rectore item eligendi; qui vicissim etiam mutari poterunt: vel si id fieri non possit; alii valdè idonei, qui cum tribus Examinatoribus suffragium scripto ferant; ita ut sint minimum quinque secreta suffragia. *g*

6. Horum tria necessaria sunt, ut ad Theologiam Scholasticam Metaphysici admittantur. *h* Auditores autem Theologiæ, ut à secundo ad tertium, & à tertio ad quartum annum pergere possint, debent habere quatuor Examinatorum tria suffragia clara, & minimè dubia. Nam ut à primo ad secundum transeant, duo sufficient. *i* Hi porrò suffragatores iudicium ferre debent, non comparativè solum ad alios, qui fortè ulterius progressi sunt in studiis, sed absolutè pro eo progressu, & capacitate, quæ à Decretis in singulos annos requiruntur. *l*

7. Universi autem Examinatores, qui suffragium ferunt de promovendis ad ulteriora studia, sive ad publicos actus admittendis, sicuti & Rectores, qui suffragantium vota excipiunt, licet non adstringendi sunt

g C. 8. D. 37.
§. 6. & St. R.
Præf. 20.

Suffragiorum certitudo, & numerus necessarius ad progrediendum in literis.

h C. 8. D. 37.
§. 6.
i C. 8. D. 37.
§. 3.

l C. 12. D. 22.
§. 4.

Secretum Superioribus reliquisque Suffragatoribus impostum.

sint juramento ad secretum ; ut aliquando
petitum est : tamen intelligant ea de re per-
quam seriò deliberatum esse , commenda-
tumque P. N. ut efficacibus remediis ser-
vari curet secretum hujusmodi , & execu-
tioni mandari Superiorum diligentem in-
quisitionem in evulgationum auctores pu-
niendos , pro rei gravitate , ac culpæ mag-
nitudine , etiam usque ad muneris priva-
tionem. *m*

m C. 7. D. 23.
& C. 10. D. 6.
& St. R. Prov.
19. §. 6.

*Provincialis
auctoritas in
Scholasticorum
studiis.*

n In. 20. p. 2.
§. 5.

o St. R. Prov.
19. §. 6. 7. &
R. Prov. 49.

8. Demum ad publicos Actus Theolo-
gorum habendos , licet Magistrorum &
Præfecti studiorum judicia sufficere vi-
deantur : tamen Provincialis , justas ob
causas , alium idoneum Judicem potest
adjungere. *n* Et preterea quoniam in hu-
jusmodi examine , & judicio ingeniorum
solent haud rarò discrepantes esse senten-
tiæ : penes Provinciale erit , re bene
perpensa , perspectisque suffragiis , audi-
tisque suis Consultoribus , id discernere ,
quod in Domino judicaverit expedire , ad
majorem Dei gloriam , & commune So-
cietatis bonum. Quod si judicaverit non esse
quempiam ulterius illis studiis applican-
dum : id scriptum constet in libro ad hoc
designato ; ubi & notabit Examinatorum
judicium , & quod de reliquis etiam con-
stitutum est. *o*

9. Idem

9. Idem Provincialis ex singulis Philosophiæ cursibus seligat aliquos eximios, *Optimi expe-*
 quos Theologiæ applicet: ne ingenia, & *diendi.*
 valetudinem atterant in habendis inferioribus Scholis: quod ferè cum illis etiam curandum, qui rara ad concionandum talenta præ se ferunt. *p*

p St. R. Prov.
 26. 27.

S E C T I O VI.

De Studiis Casuum Conscientiæ.

1. **A**T qui in studiorum decursu deprehensi fuerint inepti ad Philosophiam, aut Theologiam; vel etiam propter ætatem, aut alias causas sperari non potest, fore ut magnum facturi sint progressum; in studiis, quibus vacare poterunt, occupentur, & ferè in iis quæ ad doctrinam confessionibus utilem pertinent; vel ad docendum in classibus inferioribus, juxta Provincialis arbitrium. *¶*

Quinam his e studiis tantum addicendi sint.

¶ P. 4. c. 5. §. 2. & D. & c. 8. §. 4. & D. & R. Prov. 56. & St. R. Prov. 19. §. 4. & In. 4. §. 2.

2. Propterea Provincialis duos in eo Collegio, ubi est pro Nostris Seminarium casuum conscientiæ, Professores constituat, qui universas ejus generis materias inter se divisas biennio explicent, vel unum, qui binas quotidie lectiones habeat. *¶*

Qui Magistra præficiendi.

¶ St. R. Prov. 12.

3. Et quia scopus, ad quem studia universa Societatis diriguntur, est procurare *sa-*
diis informandi.

sa-

salutem animarum : congruum erit ; ut omnes Scholastici , nedum qui studiis superioribus impares sunt , sub horum finem incipiant assuescere ad arma spiritualia in proximorum auxilium tractanda .

5 P. 4. c. 8. §.
1. & c. 10. §.
10.

Quare ubi tres erunt pro Theologiæ Scholasticæ Auditoribus Professores , tertia lectio erit moralis Theologiæ : in qua ex professo , sed succinctè explicentur materiæ morales , quæ ab ordinariis Professoribus vel omitti , vel leviter perstringi solent . Quam quidem lectionem biennio

2 C. 7. D. 33.
§. 7. & St. R.
PROV. 9. §. 1.

saltem Nostri audiant . At illi Scholastici , quibus non licet inchoare , vel ultra primum annum prosequi cursum Theologiæ Scholasticæ , non promoveantur ad Sacerdotium ; nisi in schola quapiam Theologiæ Moralis tam diu exercitati , donec saltem biennio (etiam longiori tempore , ubi mos Provinciæ tulerit) Theologiæ ex professo studuerint . Sed neque hi , neque alii Nostri ad Sacerdotium promoveantur : nisi saltem mediæ horæ spatium singuli fuerint examinati ; idque à quatuor Examinatoribus , quoad fieri poterit , Theologiæ Moralis benè peritis : & Examinatorum saltem trium iudicio , quod scripto exhiberi oportebit , tantam habeant doctrinam ; ut confessiones fructuosè audire

dire possint : in quo graviter oneratur
 Examinatorum conscientia. Præterea si
 quem contigerit ex gravi causa, probata
 Præposito Generali, ad Sacerdotium pro-
 moveri, adhuc immaturum Tribunali Pœ-
 nitentiæ; is ad audiendas confessiones non
 exponatur, nisi expleto tempore ordina-
 rio in Schola Theologica, ac dein exami-
 natus, & probatus, ut supra. Qui verò
 ad Societatem admittuntur Sacerdotes, hi
 priusquam exponantur ad audiendas con-
 fessiones, examen idem subire teneantur;
 iis solis exceptis, quos C. 7. D. 96. statuit
 sine examine admittendos esse ad Profes- *« C. 13. D. 16.*
 sionem quatuor Votorum. »

4. Præterea pro nostris Theologiæ Au- *Collatio casuum*
 ditoribus semel in hebdomada fiat privata *conscientiæ.*
 Casuum conscientiæ collatio, aliquo Præ-
 sidente per Provinciam constituto; qui pru-
 denter, ac tutò possit hanc Provinciam
 sustinere. In domibus verò Professis Sa-
 cerdotes nostri conveniant ad hujusmodi
 collationem bis in hebdomada; in reli-
 quis Collegiis bis, aut semel. Ab his au-
 tem omnibus collationibus præter Theo-
 logiam, ac Philosophiam actu profiten-
 tes, & eos quos eximendos Provincialis
 judicaverit, nulli eximantur; immò Su-
 perior ipse, non nisi rarò, & graves ob-
 cau-

* P. 3. c. 1. X. causas absit; in eximendis verò, non nisi
 & C. 9. D. 8. in valetudinis, vel gravis causæ ratio est
 & C. 13. D. habenda. * Methodus autem in hisce ca-
 17. & R. Prov. suum collationibus servanda præscribitur
 13. 14. 15. & in St. Reg. Prof. casuum Conscientiæ §.
 R. Præp. 57.
 & In. 10. §. 6. 7. 8. 9. 10.

*Quæ scripto
 consignanda.*

5. Præter id studium conveniet compen-
 dium aliquod casuum, & censurarum ha-
 bere; & simul formulas, quæ minus usitate
 sunt aliquarum absolutionum; ac brevem
 interrogandi methodum de peccatis, & eo-
 rum remediis. y

y P. 4. c. 8. D.

SECTIO VII.

De Exercitatione ad Ministeria.

*Magistri infe-
 viores instru-
 di.*

1. **I**N Collegiis etiam, unde Magistri
 classium inferiorum educi solent,
 Rector deligat unum docendi peritissi-
 mum; ad quem, sub finem studiorum,
 ter in hebdomada, per horam, conveniant
 proximè futuri Præceptores, ad novum
 Magisterium instituendi. z

z St. R. Prov.
 30. & R.
 Rect. 9.

*Conciones do-
 mestica, & Toni.*

2. At in concionibus, & sacris lectio-
 nibus eo modo proponendis, qui ædifica-
 tioni populi conveniat, Scholastici nostri
 se exercent Domi, aut in Monasteriis:
 studeantque, ad id munus obeundum,
 linguam populo vernaculam bene addif-
 cere:

cere : & res etiam alias vidisse oportet ;
 quæ ad hoc officium utiliores futuræ sunt ;
 easque in compendium redegisse utiliùs
 fuerit. Quare Dominicis diebus, & Festis,
 si commodè fieri potest, & aliis etiam, si
 Superiori videbitur, sint aliqui pro mul-
 titudine Scholarium à Superiore delecti ;
 qui inter cœnandum, pro lectione, con-
 cionem habeant : quibus ad se parandum
 bidui ferè spatium, pro Superioris arbitrio,
 dandum erit. Exerceantur etiam, pro more
 Societatis, diebus saltem Dominicis, in
 Tonis, seu ratione concionandi ; de ijs
 crebrò tractantes ; quæ ad sui abnegatio-
 nem, & in virtutibus profectum, &
 fraternam caritatem spectant. Utilitas au-
 tem major erit, si quadrante horæ, circiter
 præmoneantur, themate illis assignato. *a*

a P. 3. c. 1. §. 5.
 & 21. & P. 4. c.
 8. §. 3. & B. C.
 & C. 7. D. 80.
 §. 6. 7. & R.
 Rect. 54. & R.
 56. & R. com.
 10. & In. 2. §.
 3. & 5.

3. Ut autem ad munus tanti momenti,
 & ex præcipuis, quæ Societas exercet,
 perquam instructissimi Nostri accedant ;
 peculiaris Instructio confecta est, quæ est
 inter Instructiones secunda. *b* Hujus ea pars
 hic referetur, quæ ad instituendos Concio-
 natores facit : reliqua ad jam Instructos
 dirigendos spectans alio loco exponenda.
 Igitur qui talento ad concionandum sunt
 præditi, & in humilitate, & ceteris virtu-
 tibus benè fundati, hoc ipso studiorum

*In illis qui po-
 tissimum & quo
 pacto exercendi.*
b C. 2. D. 62.

L tem,

tempore instituantur; & nullo pacto concionibus aliorum describendis sinantur
c In. 2. §. 1. & 7. tempus terere. *c* In concionibus domesticis, de quibus supra, non quæ ad Religiosos spectant tantummodò tractentur, sed etiam illa, quæ ad populi ædificationem faciunt; & quasi ad seculares sermo dirigatur. *d*

Præfectus concionum, & ejus munus.

4. Ad hunc finem in præcipuis Seminariis, aliquis benè exercitatus è Nostris Concinator constituendus est Præfectus concionum: cujus munus erit, thema concionaturis designare, & viam, qua illud benè tractent. Post singulas conciones liberè, & amanter eosdem privatim moneat. *e* Præfectus etiam in Tonis idem præstabit; excepto, quod correctio seu commendatio, antequam è suggestu abeant, præstanda est. *f* Non sunt autem omnes ad eundem concionandi modum adigendi; sed communia documenta proprio cujusque modo, & facultati attemperanda. *g*

g In. 2. §. 6.

Post studia temporis ad parandas conciones tribuendum.

5. Qui concionandi talentum habuerint, si post absoluta studia Scholastica duos annos ad ea repetenda juxta Reg. 52. Provincialis posuerint; post tertium annum probationis, antequam concionandi munus suscipiant, privato studio Sacræ Scripturæ, & legendis Patribus, ac sanctæ meditationi, saltem per annum, vacent. At

per

per biennium id præstent, qui prædictæ repetitioni non fuerint addicti. *b*

6. In ministerio etiam exercentur Confessionis. (ut ex parte dictum est) & Communionis; & non solum quoad ipsorum, sed etiam quoad poenitentium, & communicantium officium pertinet, perspectum habere, ac exequi curent. Ad exercitia etiam aliis tradenda assuescant; studium pariter congruum in modo tradendæ doctrinæ Christianæ adhibeant: curandumque est; ut quæ ad bene moriendum proximis conferunt, percipiantur. *i*

7. In universum loquendo edoceri eos convenit, quem modum tenere oporteat hujus Societatis Operarios; qui in tam variis mundi regionibus, cumque tam diversis hominum generibus versari debent. Et quamvis hoc sola unctio S. Spiritus, & ea prudentia, quam communicare solet Dominus illis, qui in Divina sua Majestate confidunt, docere possit: via saltem quibusdam documentis, quæ juvent, & ad effectum Divinæ gratiæ disponant, aperiri potest. Videat tamen Rector quos ex Collegialibus, & ad quem usque limitem, in his occupari conveniat; cum sub finem studiorum, pleraque ex dictis exercenda sint. *m*

L. 2

SE-

b In 2. §. 7.

Sacramenta ministrare, & exercitia tradere doceantur.

i P. 4. c. 8. §. 4. 5. 6. 7. & D. E. F. G. & c. 10. §. 10. & c. 13. D. 16. & R. Rect. 67.

Omnia demum Societatis ministeria exercere juxta Superioris prudentiam.

l P. 4. c. 8. §. 3. & P. 10. §. 3.

m P. 4. c. 6. §. 3. & c. & c. 8. §. 1. & c. 10. §. 10.

S E C T I O VIII.

De Actibus publicis, tum Philosophicis,
tum Theologicis.*Actus Philo-
sophorum.*

1. **P**ublici Actus, seu Disputationes, sub finem studiorum, tum Philosophiæ, tum Theologiæ habendi sunt à Nostris; ad quos pro dignitate tuendos se strenuè comparare debent. Ad disputationes Philosophorum deligantur pauci, & egregie instructi, qui locum implere possint: hi autem seligendi sunt per Examinatores, & Judices de quibus supra Sect. 5. §. 5. Tempus harum disputationum erit totum scholarum vel mane, vel à prandio: numerum autem, & conditionem argumentantium pariter, & auditorum vide locis hic citatis. o

o St. R. Præf.
19. 20. 24. 25.*Actus Theologici
particulares.*

2. Actus Theologici, alii dicuntur Particulares, sive parvi, alii Generales, sive magni, denominatione ducta à materia, & spatio etiam disputandi contractiore, ampliore-ve. Ad actus hujusmodi habendos requiruntur Examinatorum suffragia tria clara, & minimè dubia, quæ Scholastici, ad actum cum satisfactione habendum, capacitatem speciatim enuncient. p

p. C. 11. D. 24.
§. 5.

Habent

Habentur autem anno Theologici ſtudii quarto, aut (ſi æquo pauciores ſint Theologi quarti anni) tertio, externis invitatis, cum aliquo apparatu. *q* Materias *q* St. R. Præf. 7. actuum particularium Præfectus ſtudio- rum cum Magiſtris diſtribuet; cavebitque ne nimis frequenter, ſed per intervalla quædam, habeantur; ac duabus horis & dimidiata minimùm circumſcribantur, & argumententur ferè non pauciores, quàm tres; quorum unus ſit ut plurimùm Do- r St. R. Præf. 8. ctor.

3. Generales Actus univerſam ferè *Actus Theologi- ci generales.* Theologiam comprehendant; & antemeridianum ac pomeridianum tempus occupent: vel certè ad quaternas, aut quinas horas producantur; ubi non niſi manè, vel à prandio diſputari moris eſt. Horum actuum Concluſiones poſſunt eſſe communes omnibus eodem anno deſenſuris; & publicis typis excudi. Eorum, qui ſunt hos actus habituri, unus in ultimam, ſi commodè poteſt reſervetur hebdomadam, *s. St. R. Præf. à 9. uſque ad 15.* qua ſtudia finienda ſunt; alter in eam qua Scholæ ruruſ aperiendæ. Reliqua à citatis Regulis peti poſſunt.

4. Si quis, habiturus actum magnum, *In his ſecretum, & ſelectus.* ab argumentaturis argumentum proponendum, vel concluſionem impugnandam

inquisiverit; is, nulla habita ratione iudicii ex actus successu consecuti, ad examen, more aliorum, pro Professione subeundum, omnino revocetur. Qui verò in actu parvo id fecisset, excidet omni spe actus magni; & complices huius dedecoris puniantur: & oneratur conscientia iudicum, si cognita fraude, ex solo tamen successu iudicium ferant. Ad hæc commendata est P.N. contractio numeri Theologicorum actuum; & moderatio interlocutionum, quas Magistri plus æquo actibus immiscent. Quatenus autem horum actuum, & examinum, quæ loco actuum habentur, iudicium referatur ad Professionem quatuor Votorum, dicetur infra Sect. 10.

† C. M. D. 24.
§. 6.

SECTIO IX.

De iis, qui per biennium privato studio Theologiam recolunt; & promoventur ad gradus Scholasticos.

Selectus, & studia eorum, qui repetunt.

I. Institutio eorum, qui privatim repetunt Theologiam, à Ratione studiorum pag. 153. petenda est: hic tantum ea dilibantur, quæ in Constitutionibus, aliisque regulis præscribuntur. Quod dictum est

est de actibus publicis Theologorum habendis sub finem quarti anni, non comprehendit eos, quibus biennium præterea; ad recolenda ea studia, conceditur. Debet enim Provincialis, initio quarti anni, consultis Rectore, Præfecto, Magistris, & suis Consultoribus, designare aliquos, qui, & probatæ virtutis in primis sint, & ingenio polleant, ut absolutis studiis Philosophiæ & Theologiæ, ad ea repetenda, privatim, & quietum studium habeant; & Sacræ Scripturæ se dedant; & plus etiam studii, quàm reliqui consueverint, in Hebraicis ponant. x

2. Hi verò in disputationibus publicis rationem suorum studiorum reddant: & cum Nostri vocantur ab Externis ad disputandum, iidem potissimum mittendi erunt. Quibus, & privati studii occupationibus ut melius vacare possint, Rector eos, quàm minimè poterit, destinebit habendis concionibus, idque consulto Provinciali. Ex his verò, ubi Regionis mos est, poterunt aliqui, facta à Generali potestate, ad Gradus Doctoratus, vel Magisterii promoveri. a

3. Possunt enim nostri Scholastici, studiorum suorum cursu absoluto, & rigorofo examine præcedente, à quovis ex Rectoribus

St. R. Præf. 7.

x P. 4. c. 6. D. & §. 14. 16. 17. & R. Prov. 52. & St. R. Prov. 8 & 10. & St. R. Præf. 7. & St. R. Rector. 24.

Eorundem disputationes, & mittere.

y R. Prov. 52. & St. R. Præf. 26.

z St. R. Rector. 5.

a St. R. Prov. 10.

Facultas Gradus licentiarum conferendi.

etoribus Collegiorum, adhibitis duobus,
 vel tribus Magistris, ad quoscumque gra-
 dus Baccalaureatus, Magisterii, Licentia-
 turæ, ac Doctoratus promoveri: & sic
 promoti gaudent omnibus facultatibus;
 quibus fruuntur reliqui, pariter insigniti
 in aliis Universitatibus. *b* Quam faculta-
 tem promovendi ad gradus literarios, per
 prædictos Pontifices concessam Rectoribus,
 & Præfectus studiorum habet. *c* Nullus
 tamen ex Nostri ad Philosophiæ, vel
 Theologiæ gradus promovendus est, sine
 facultate Præpositi Generalis: nec ob alium
 finem, quàm ut possint Proximis esse uti-
 liores. *d*

4. Ad gradus verò hujusmodi promove-
 buntur, qui per diligentem examinatio-
 nem inveniuntur apti ad eam scientiam
 prælegendam. Sumptus in illis vitandi: nec
 loca certa, quamvis reliquis, qui gradus
 accipiunt, dari soleant, ipsi admittant *e*;
 nec Doctoris, vel Magistri nomine, ratione
 Gradus, inter se utantur. *f* Et quamquam
 non sit absurdum, si Doctores Nostri quæ-
 dam insignia serica in Actibus publicis ali-
 cubi ferrent; tamen curandum, ut non ad
 id obligentur; & quid generatim expediat,
 P. N. statuere debet. *g*

b Jul. III. p. 76.
 & Pius IV. p.
 88.

c Greg. XIII.
 p. 190.

d P. 4. c. 6. §.
 17. & R. Prov.
 62. & Rect.
 42. & St. R.
 Prov. 10.

servanda cum
Promovendis,
Promotisque.

e P. 4. c. 6. §.
 17. & c. 15. §.

f R. Prov. 64.

g C. I. D. 131.

S E C T I O X.

*De examine eorum qui sua studia
absolverunt.*

1. **H**Oc examen, licet ad Professionem
instituat, quæ protrahi multo-
ties debet longè ultra studiorum finem; at-
tamen, ut Scholasticis faciliùs contingat,
instituendum est, antequam illi ad tertiam
Probationem mittantur, & sub finem an-
ni 4. Theologiæ. *h*

2. Certum in primis est, non esse exa-
minandos hoc, de quo loquimur, exami-
ne eos, qui Philosophiæ, ac Theologiæ
studia non absolverunt. 2. Excipiendi
omnes qui pro dignitate has facultates pro-
fessi sunt, aut profitentur; vel qui actum
generalem manè, & vesperi in Theologia
habuerint; si designatis in id Patribus satis-
fecerint, ut infra §. 10. explicabitur. 3. *l*
Doctores Theologiæ Societatem ingressi, si
de eorum eximia eruditione nulla dubita-
tio sit, pariter non sunt examinandi; secus
verò, si sint dubii. *m* Reliqui omnes, modò
ultrò jus ad Professionem quatuor Voto-
rum non abdicent, examinantur.

3. Porro Examinatores, ut idoneam ferre
sen-
sentes.

*Hujus examinis
tempus.*

h St. R. Prov.
19. §. 10. &
Or. C. 18. p. 1.
§. 3.

*Qui Exami-
nandi.*

P. 5. c. 2. §. 2.

l Or. C. 18. p. 3.
§. 6.

m C. 7. D. 96.

*Qui Examina-
tores.*

sententiam possint, ordinariè esse debent publici Professores harum facultatum; vel certè, qui omnium iudicio sunt in illis benè versati: numero quatuor deligi debent ad id munus à P. N. & quoad fieri potest, non sint eorum, qui examinantur, Præceptores. In locum horum, si eos deesse contingeret, erit Provincialis alios, pro tempore, subrogare. °

¶ P. 5. c. 2. §. 2. & C. 7. D. 33. §. 4. & Or. c. 18. p. 3. §. 2. ° C. 7. D. 33. §. 5.

Materia examinis.

4. Materia hujus examinis erit petenda, tum ex cursu Philosophico, tum ex Theologico; ita ut qui examinandus est, defendere debeat quatuor assertiones ex quatuor partibus Summæ Theologicæ: tres verò ex Philosophia, Logica scilicet, Physica, & Metaphysica; quarum unaquæque tria membra habeat; & quibus præcipuè difficultates, & materiæ cursuum comprehendantur. ¶ Theses autem hujusmodi assignandæ sunt à Superiore cum Præfecto; & præscribendi quatuor menses, ultra quos examen non differatur. Quod si intra præfinitum hoc tempus non fiat examen; conclusiones ab iisdem mutandæ erunt: & singuli, licet non necessariò, à singulis, tam in Philosophia, quàm in Theologia examinandi erunt; quando de utraque Theses habent. ¶

¶ P. 5. c. 2. §. 2. & C. 7. D. 33. §. 3. & C. 4. D. 14. & Or. c. 18. p. 3. §. 3. & In. 19. §. 3. & St. R. Prov. 19. §. 10. ¶ C. 8. D. 37. §. 4. & In. 19. §. 3.

Forma ejusdem.

5. Formæ examinis est; ut fiat coram Pro-

Pro-

Provinciali, aut saltem Rectore Collegii, in quo fit, Examinatores soli interesse debent: qui planè intelligant sui muneris esse, seriam, & non perfunctoriam operam navare; ut verè fiat periculum, an doctrina tanta sit quanta in Constitutionibus requiritur: & duarum saltem horarum spatium in examine infumatur. r

6. Sed quod commendatissimum Examinatoribus Societas voluit, est sincerum iudicium, de eo doctrinæ gradu, quem tenent promovendi ad Professionem quatuor Votorum. Sæpius enim plura in hunc finem Statuta sunt. Meminisse igitur debent Examinatores oportere in Professis quatuor Votorum inesse doctrinam, diligentissimis probationibus exploratam, & planè selectam. s De cuius doctrinæ gradu ut certiori quadam mensura constaret, decretum est; eam esse, quæ necessaria est ad Philosophiam ac Theologiam cum satisfactione docendam, r & quidem in iis locis, in quibus est idoneorum auditorum, ac disputantium concursus. Hæc autem aptitudo non expendenda est relativè ad alios, ante ad Gradum Professionis quatuor Votorum promotos; sed absolutè, nec habita solùm ingenii, sed etiam doctrinæ præsentis ratione. x

7. Quo

r C. 7. D. 33.
§. 3. & Or. c.
18. p. 3. § 4.
& In. 19. § 1.
& St. R. Prov.
19. §. 10.

Gradus Doctrinae requisitus.

s Ex. c. 1. §. 8.
& 10. & P. 5.
c. 2. §. 2. & P.
10. §. 7. & Paul
III. p. 14. &
Jul. III. p. 67.
& Or. c. 18. p.
3. §. 1.

r C. 7. D. 33. §.
3.

u C. 8. D. 37. §.
2.

x C. 12. D. 22.
§. 1.

*Juramentum
praestandum ab
Examinatori-
bus.*

7. Quo autem Examinatorum, in hoc ferendo judicio, vigilantia excitaretur magis; & eorum integritas melius Societati approbaretur, statutum est; neminem ad Examinatoris hujusmodi munus admittendum, quin prius attentè legerit Decreta proximè exposita Congr. septimæ, octavæ, & duodecimæ, & juramentum coram Superiore genuflexus emisit; in quo fidelitatem suam in ferenda sententia, & in ea non vulganda promittat: cujus juramenti formulam habes in C. 12. D. 22. §. 2. ubi etiam formula traditur judicii ferendi. y C. 12. D. 22. §. 2. & St. R. Prov. 19. §. 11. Debent etiam Examinatores, cum quis designatam doctrinæ mensuram non assequitur, sed mediocritatem attingit, suo id suffragio distinctè declarare. z C. 8. D. 37. §. 1.

*Suffragia Exa-
minatorum qui-
bus tradenda.*

8. Id autem suffragium de doctrina tantum, literis separatis, singuli Examinatores, re Domino commendata, non autem in consultatione prolatâ sententiâ suâ Provinciali dent. Præterea idem judicium ad Præpositum Generalem mittent, addentes si quid significandum occurrat; quod Provinciali aperiendum non censuerint. Ad eundem Generalem suum etiam judicium Provincialis, aut qui ejus loco examini præfuit, mittet. Sed ad Provincialem literæ soli inscribantur: qui quidem in

in librum ad id designatum suffragio-
rum numerum, die & anno annotatis;
tacitis Examinatorum nominibus, referet;
ea secreti cautione, ut ne Socius quidem
in secreti cognitionem veniat: eandemq;
ob causam Examinatorum etiam literas
mox comburet. ^a

9. Si quis verò non tulerit quatuor Exa-
minatorum suffragia clara, & minimè
dubia (nam dubium pro nullo habendum
^b) is non censeatur habere doctrinam ne-
cessariam ad Professionem quatuor Voto-
rum. ^c Et huic quidem poterit P. Genera-
lis secundum examen concedere; rarò tam-
en, & cum dubium aliquod de aptitudine
intercessit: gravibusque de causis; aut vix
unquam, nisi is, cui hoc concederetur,
retulerit in primo examine duo pro se suf-
fragia: ac si fortè distinctos à prioribus
Examinatores esse necesse fuerit; sint etiam
illi omni exceptione majores, & jurati, ab
ipso Preposito Generali designati. Tertium
verò examen nunquam est concedendum. ^d

10. Quod dictum est de Examinatori-
bus, comprehendit etiam Judices designa-
tos ad ferendum iudicium de iis; qui loco
examenis habent actus magnos Theologiæ.
De his tamen, qui indistincti à prioribus
esse solent, est præterea decretum; ut si
ex

^a C. 7. D. 97.
St. R. Prov.
19. §. 11. &
Or. c. 8. p. 3.
§. 5. & In.
19. §. 2.

*Qua certitu-
do & numerus
suffragiorum
requiratur.*

^b C. 7. D. 33.
§. 4.
^c C. 8. D. 37.
§. 3.

^d C. 7. D. 32.
& C. 12. D.
22. §. 3.

*Idem servan-
dum à Judici-
bus Actus ma-
gni.*

ex audita disputatione nequeant formare
 iudicium certum de sufficientia doctrinæ,
 sive ob nimias interlocutiones Professo-
 rum, sive ob argumentantium defectum
 (quæ incommoda diligenter prævertenda
 essent) tum Provincialis substituatur unum,
 aut alterum, ex iis, qui fortè disputationi-
 bus interfuerint (si nactus idoneos fuerit)
 ut Jurati, Iudicum loco, suffragium fe-
 rant: si verò vel hi desint, vel nec ipsi satis
 certam sententiam proferant, quampri-

e C. 10. D. 13. mum examen adhibeatur. *e* Ad quod etiam
 omnino revocandus, qui habiturus Actum
 magnum ab argumentaturis conclusionem
 impugnandam inquisiverit: neque enim
f C. 11. D. 24. huic Disputationis, quantumvis eximie,
S. 6. iudicium favere debet. *f*

*Mitius agen-
 dum cum Do-
 ctoribus Theo-
 logia.*

11. Temperata verò aliquantulum est
 eximie conditio doctrinæ in Theologicis
 disciplinis, in gratiam eorum, qui in ce-
 lestri aliqua Universitate donati fuerint
 gradu Doctoris in Theologia; hi enim, si
 mediocritatem doctrinæ excedere, prævio
 communi examine, deprehensi fuerint;
 promoveri poterunt ad Professionem qua-
 tuor Votorum; secus verò, si mediocri-
 tatem non excedant. *g*

*2 C. 11. D. 14.
 & C. 7. D. 96.
 & St. R. Prov.
 19. §. 14.*

*Et cum insig-
 nibus in studiis
 Humanitatis,
 & Linguarum.*

12. Sufficit & in Theologicis medioeri-
 tas, quæ satis sit infidelium, & hæretico-
 rum

rum conversioni, in viris literatura humaniore insignibus; & qui plures annos in iisdem docendis cum laude strenuè laboraverint. Idque extenditur etiam ad Nostros, qui apud Indos utiliter laborantes, eorum linguis cum fructu addiscendis operam dederunt. De peritia autem sufficienti linguarum Indicarum Examinatores jurati suffragium ferant. *h* Quæ tamen ita permissa sunt iudicio P. Generalis; ut non communiter, ac facillè cum omnibus dispensetur. *i* Eodem privilegio gaudent, qui iudicio Provincialis & Consultorum excellunt in lingua Græca, cum sufficienti notitia Hebraicæ. *l*

h C. 8. D. 40.

i C. 6. D. 151.

l C. 9. D. 32.

13. Similiter indulgetur mediocritas Scientiæ Theologicæ iis; qui habent alia egregia Dei dona, qualia sunt ad gubernandum, vel ad concionandum illustria talenta; quorum nec vulgaria, nec levia experimenta sunt. Horum autem donorum iudicium ultimum penes Præpositum Generalem esto. *m*

Et maximè aptis ad gubernandum, aut concionandum.

m P. 5. c. 2. B. & C. 7. D. 33. §. 3. & C. 13. D. 19.

14. At qui in Jure Canonico doctrinam sufficientem habent; & viri alioqui sunt adeò insignes, ut iudicio Generalis, quod studio Theologico deest, inde compensari videretur; ad Professionem quatuor Votorum admitti possunt; & examinandi in Theologicis non sunt. *n*

Et in Jure Canonico versatis.

n P. 5. c. 2. B. & C. 7. D. 96. & St. R. PROV. §. 14.

*Excellentia Talenti
supplentis
Doctrinam ju-
ramento constet.*

15. Demùm hic duo advertenda, quæ ad compescendum nimium usum proximè adductarum concessionum Statuta sunt. I. Exigendum esse juramentum ab iis qui judicaturi sunt de excellentia Talenti; quod supplere potest defectum doctrinæ, ad Professionem requisitæ; ut par omnium hac in parte conditio sit, non obstante contrario Decreto tertio Congreg. II. Ejus autem Juramenti formula de Talento gubernandi, & concionandi traditur Dec. 19. Congr. 13. 2. Non omnes, quibus testimonium prædictum adstipulatur, esse promovendos; sed servandas Constitutiones, & Decreta; quæ totam rem volunt pendere à P. N. neque hujusmodi promotiones communiter, & facilè ab ipso concedendas. °

° C. 12. D. 24.
& C. 13. D. 19.

